

II.

REGNUM. MORTUORUM.

Nro. 82.

Politica Mortuorum Colloquia.

Elysium-Meum, Die Veneris 16 Nov. 1810 (Neov. 26. Oct. 1810.)

Hi mihi doctores semper placuere, docenda
Qui faciunt, plus quam qui facienda docent.

Solutio Aenigmatis.
Ex Regno Minois.

Niloxenes, legatus Amasis veteris Aegypti regis, vice quadam familiari septem Græciæ sapientum Colloquio in Erebo operam dabat, qui cum multa ultro citroque verba facerent, ille caetera inter memoraverat, ut factum sit, quod Rex sequens dominatori Aethiopiæ aenigma transmitteret: 1) *Quid vetustissimum.* 2) *Venustissimum.* 3) *Maximum.* 4) *Sapientissimum.* 5) *Vulgare maxime.* 6) *Utilissimum.* 7) *Maxime Noxium.* 8) *Potentissimum* denique. 9) *Facillimum* esset? — Solutionem harum quæstionum ab Aethiopibus in hunc modum factam fuisse: —

- 1) Tempore nihil antiquius.
 - 2) Lumine nihil pulcrius.
 - 3) Orbe ipso nihil majus.
 - 4) Veritatem esse id, quod sapientissimum adpellandum est.
 - 5) Morte nihil communius.
 - 6) Nihil tam utile tamque boarum quam
- DEUM, &

7) Nihil nocere magis malo Dæmone.
8) Fortunam cunctis rebus præpotentiorē &

9) Nil fore facilius illo, quod animum nostrum oblectat. —

Thales, Septem princeps sapientum, caput hinc & illinc audita hac interpretatione versare, & admodum impropriam adpellare. Docta corona obsecrare: ut eam de exactiore problematis solutione edocere velit.

Milesius sapiens venerabilis Coetus precibus & votis delaturus, sic orsus:

1) Deo nihil vetustius utpote ab æterno.

2) Mundo nihil dari elegantius, in ordine & nexu partium omnium suarum, quarum quælibet competentem sibi locum occupat, & quævis singulaque pars rursus integram pulcritudinem efficit. — Ut veronegari nequit: totum majus esse parte sua, ita evidens est, mundum pulcriorem esse partibus, e quibus constat, cum totum efficiat.

3) Nihil majus spatio cuncta ambitu suo complectente, quæ existunt, & aliquid vocari possunt.

4) Nihil sapientius tempore, artium quarumvis, & scientiarum inventrice. Præteritum tempus quod scitur detexit, & futurum cuncta quæ hodie abditis condita revelabit.

5) Nihil communius, i. e. quod homines invicem commune habent, spe, quam apud secunda utentes, quam adversa vexatos fortuna deprehendere est; ipse homo,

qui omnium bonorum iacturam fecit, qui in limine orci consistit, spem, dulce hoc animi lenimen, corde fovet suo.

6) Nil virtute utilius, quibuscumque in adjunctis homo versetur, contra vero

7) Nihil scelere perniciosius.

8) Nihil potentius necessitate, hæc legem nullam, iustum non respicit ullum.

9) Nihil facilius eo, ad quod tota natura impellimur, ex quo consequitur, naturale omnium in orbe facillimum esse.

Universa venerabilis corona huic interpretationi adplausit, eam tam utilem adeoque elegantem censuit, ut communibus suffragiis concluderit, eam in scripturam redigendam, & per Cursorem ad superiorem expediendam mundum, inque eo medio præconis in cunctis triviis & quadriviis quibusvis Adæ posteris promulgandam; cum existimaverit, eos sibi cordi eam sumtuos, ut ad oasus obvientes adplicare possint.

BIOGRAPHIA.

Amaris. Veteris Aegypti Rex, obscuros habuit natales, eratque præcessoris sui Apries Bellidux. Eo vita suacto, quam Amasis promovisse perhibetur, eum Aegyptii ob originis vilitatem Regem eligere detrectarent, Amasis, ut erat sagacis mentis, vas argenteum, quod abluendis pedibus serviebat in Aegyptii idoli statuam fundendum, eamque publice exponendam curavit, quo factum: ut plebs catervatim Deum adoratura advolarit. — Tum ad piam concionem sic locutus, „Origo

hujus statuae neutiquam mea nobilior est, Eocur igitur meo vos cunctamini subdere imperio, qui adeo ultro curvo poplite imaginem, quæ paullo ante pelvis mea fuit adoratis? quo sapienti sermone tantopere moti Agyptii, ut ultro & ex templo ejus se imperio subjicerent. — Accidit, ut Aethiopum Rex lepidam prorsus ei faceret propositionem: se præstantissimam suarum provinciarum celsurum, mare epotaturo; contra si id nequiret, idem faciendum ei esse; Amasis, ut erat acuti penetrantisque ingenii, nugivendolo principi respondisse fertur: sibi id per esse facile, dummodo quosvis adfluxus maris obstrueret, mox se ei ebibendo operam adcommodaturum votisque satisfacturum — quo factum, ut rubore suffusus Nigrita nihil reddere sciret. Amasis ad hæc per legatum memoratum in contextu, & ab Aethiopibus tam hiulce solutum transmisit Aenigma.

Septem Graeciae sapientes.

A Synchronis hoc nomine insigniti sunt per excellentiam, quod virtute atque sapientia ceteris eminauerint. Erant ii: Thales, Pittacus, Bias, Solon, Cleobulus, Myson & Chilon, atque de præcipuis Graeciae familiaribus sati, intra annum Mundi 3350 & 3450 seu ante Christum 6 prius sæculis nati, hæc temporis periodo mutuo se nosse, sociæque itinera conficere atque litterarum reciprocum commercium fovere, simul quoque & eodem sæculo vitali aura excedere. —

Thales. Mileto ortus Anno 640 An. Chr. Culturæ mentis ergo peragravit Aegyptum, consuluit Sacerdotes ejus, aliosque Eruditos. Quidam conjugatum adfirmant, alii Consilia matris continuo declinasse dicunt, in juventute Aetatis defectum, provecitore ætate ejus excessum prætexendo. Thales prudentia, doctrina sapientiaque nominis immortalẽm gloriam adeptus est, primus inter Græcos Eclipsim solis prædixit, amplasque in Astronomia detecciones fecit. Apulejus asseverat: hunc eruditum de inventione rationis: diametri solis ad Circulum tanta voluptate adfectum esse, ut a viro, qui inventionem suam revelavit, quique quidquid desiderarit, præmii vice obtulit, nihil aliud postulaverit, quam ingenuam confessionem se ejus auctorem fuisse. Erat Conditor Scholæ Philosophiæ, Joniæ nuncupatae, quod Mileto Joniæ Urbe oriundus esset. Dictitare solebat: nihil fore difficilius in orbe, quam se ipsum nosse, nihil facilius quam aliis Consilium dare — nihil dulcius, quam veti damnari, ad feliciter vivendum ea vitanda esse, quæ in aliis arguuntur; felicitatem Corporis consistere in sanitate, beatitudinem animæ in scientia; velocius nihil esse ingenio, *cetera vide in textu.* — Id quoque ei solenne erat dicere: nihil loquendum esse ad quempiam quod obesse nobis posset, & cum amicis agendum ita, ac si inimici rursus fieri possent. — Inter veteres sapientes nemo magis illo Astronomiæ deditus fuit. Diogenes auctor est

vice quadam cum quapiam anu domo egres-
sum sidera contemplatum; in quo opere fo-
veæ incidisse, ob quod mulier salse eum re-
probabat, Coelos scrutari eum velle, nec ta-
men obvia advertere. Iavisit etiam opulen-
tissimum Lydiæ Regem Croesum, quem va-
lido cum exercitu Cappadociam ingressum
modum flumen absque ponte trajiciendi do-
cuit. Obiit paullopost circa 545 A. Ch. no-
nagenarius. Opera diversa ligato stilo, de
Meteoris, Aequinoctio &c. conscripsit, quæ
omnia interierunt. Distinguendus ab eo *Tha-
les* seu *Thalatas* Lyourgii familiaris, cujus
motus consilio Spartam concessit, Lyrica
Poesi; quæ & morali doctrina referta, clarus.

Bias Pryene Joniæ oriundus, vixit cir-
citer 606 A. Ch. quamquam vastæ eruditio-
nis ejus argumenta non supersint, nonnul-
læ tamen sententiæ probi animi sunt docu-
menta sui. Cum patria urbe obsessa, qui-
vis optima sua discrimini eripere conaretur,
Bias solus nihil sustulit, ajens omnia secum
portare. — Obiit in ulvis nepotis inter ami-
ci sui pro Jure defendendam Causam.

Chilo erat Ephorus in patria Lacedemone
circ. 556 A. Chr. gaudio ob victoriam
filii in ludis Olymp. peremptus scribitur. —
3 contendit ardua: arcanum tenere, tempo-
re recte uti, injuriam æquo ferre animo.
Plinius verba: Nosce te ipsum aureis Del-
phico templo litteris incidi curasse memorat.

Cleobulus. Lindo ex urbe strenuus juxta

& prudens, vultu decorus, amans doctrinæ,
osor ruditatis.

Amicos inimicosque æqua tractandos
ratione asserebat, illos custodiendi hos de-
vinciendi gratia. Obiit 560 An. Chr. filia
ejus *Cleobulina* ingenio, Judicii profunditate
comitateque inclaruit, heroicæ virtutis laude
inignis ænigmata scripsit, ipsis Aegyptiis
admirata.

Solon cui celebris hic Atheniensium le-
gislator non notus esset? qui sapientia, pro-
bitate animi & amore in patriam clarissimus,
colloquioque cum *Croeso*, quod: dici beatus
ante obitum nemo, supremæque funera pos-
sit. Obiit 559 An. Chr.

Pittacus ex Mitylene, Lesbi urbe —
Bello cum Athen. Dux popularium suorum;
duellum *Phrynoni* Olympicis in ludis sæpe
præmio ornato obtulit, Duci hostium; quod
ille acceptavit, sed ab adversario reti sub
clipeo condito captus victusque, in præmi-
um Imperium ei delatum, quod paullopost
quam leges 600 versibus contentas dedisset,
reddidit. Obiit æt. 70 A. Ch. 579.

Periander Tyrannus Corinthi & *Coreyræ*,
majore jure malevolorum, quam sapientium
adlegendus choro, quod formam regiminis
abrogare libertatem patriæ supprimere & im-
perium usurpare ausus. Inter principes æta-

us suæ Politicos habebatur, quamquam foeda multa ejus fuerint principia. Multis exorandisque deditus fuit vitiiis; exacto 44 usurpationis Anno obiit 588 A. Chr. quidam ei substituunt *Anaximandrum* sapientia clarum Thaletis popularem discipulumque, Pliniique auctoritate Globi terraquei Coelestisque inventorem, imo Laertius horologiorum etiam inventionem ei tribuit, vixit circa. 547 A. Ch.

In hac Typographia Viduae et Haeredum Belnayanorum libri sequentes venales:

- Principia Politicæ, & Rei æraricæ &c. latine reddita a Volfg. Beke, III. Tomi 6 fl.
- Catechismus in usum omnium Ecclesiarum Imperii Gallici. Juxta Exemplar, Parisiis a. 1806. apud Viduam Nyon, natam Saillant, cum Privilegio Cæsareo editum, e Gallico in Latinum sermonem translatus. 8. 1808. 1 fl.
- Schelle Historia Univ. latine II. Tomi 6 fl.
- Georch Eliaz) Jus patrium, III. Tomi 5 fl.
- Fedor, és Mária, vagy a' hőltig-tartó ritka hűség, és a' nagyra vágyásból származott gyászos, de méltó szerentsétlenség' tüköre. N. V. Ajtay Samuel által. 1807. 8. I fl. 12 xr.
- P. Basilii Alexovics Sermones Sacri, festuales & Dominicales, V. Tomi 8. maj. 10 fl.
- Hertzeg Piripionak tündér története írta Wieland után Magyar Földjeinek mulattatására Fellegváry Agoston. 8. 1804. 36 xr.
- Wieland, Téli Regi. 8. Posonyban, 1804. 20 xr.